

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Io. Freinshemii Commentarii in libros s̄uperstites Q. Cvrtii  
Rvfi**

**Freinsheim, Johann  
Curtius Rufus, Quintus**

**[Argentorati], [circa 1639 oder später?]**

Cap. 2

**urn:nbn:de:bsz:31-103771**

eruditus dixit, in regno Paphlagonico. Encos seu Henetos deducit ab indigena voce *Honati*, quod sit *disejicare*: Venitos à nostro Wenben à vertendo, nempe sedes, id est, vagando, ut in utraque lingua veniant *vouādis*. Quae sane notio non specienda; multoque mihi potior est ea, quam Iornandes de rebus Geticis communiscescitur, cui Heneti dicuntur quasi *armi, laudabiles*.

3,1,24. *CALAS*) Theffalorum equitum duxtor, Harpalii filius. Arrian. 1,5,7. postea Phrygiae & Paphlagonum Satrapa. Idem 2,1,20. Diodoro 17,17. est *Kākas*.

*QVI EX MACEDONIA*) Supplementum exercitus pedites 1000, equites 650. ut Arrianus 1,8,28. numerat: ut Callisthenes, peditum millia V. equites octingenti. Raderus.

3,2,1. *HABD SECUS QVAM PAR ERAT*) Nobilissimum enim ducem (sic appellatur infra 3,13,14.) amiserat, & quem, ut modo 3,1,21. dictum est, solum verebatur Alexander.

*OMISSA OMNI ALIA SPE*) Bene habet, nec est reponendum amissa spe, sic enim usurpant hoc verbi principes Latini fori, omittere tristissimam, spem, iracundiam, quamvis diserte Iustinus 11,12,5. dicat, *Tum spe pacis amissa*, sed ibi vere legitur amissa, quod spem illi pacis Alexander negarat. Raderus. Apud eundem Iustinum 11,9,8. narratio est re phrasique Curtianæ non absimilis: *Nec Darii regis opera in ordinanda acta definit, quippe omissis ducum officiis, ipse omnia circumire* &c.

*STATVIT IPSE DECERNERE*) Quæritur apud studiosos rei bellicæ, utrum conducat ut sumimus imperator ipse in discrimen belli descendat, an per duces suos id administret? Cum enim non indecorum modo sit *principibus omittere caput rerum*, *unde in omnia regimen*, ut apud Tac. 3,47,3. Tiberius censet; sed & ex eius spiritu tota propemodum salus pendeat, quod volunt Israëlitæ Reg. 2,18,3. interdictum ipsi merito videri possit expeditionibus. Contra cum imperatoris præsentia non militibus modo, sed & ducibus ignauiam & incuriam abstergat; emulationes ducum haud minimam rebus gerendis moram, sopiat, sanctius disciplina vinculum sit; exercitu robur & audaciam, hostibus terrorem adspiret, in hanc omnino distinctionem concludendum videtur, quam Alexandri nostri duces infra 9,6,14. proponunt: *Obscura bella, & ignobiles pugnas nobis depositimus: temetipsum ad ea serua, quæ magnitudinem tuam capiunt. addo, vel exposcunt, ut in hoc Darii statu. Fufc tractauit hanc scholam Bernegg, in Questionib. ex Tacito.*

*PLVRIBVS CVRAM OMN*.) Bongarsii codex pluribus curansibus, unde exiliret sensus noto prouerbio comprehensus: Πάσαι γραμμῆι Καρίας ἀπώλεια. Multi imperatores Cariam perdidierunt. alterum tamen, pluribus libris fulcitum, merito præstissimus. Porro Gruterus discursu primo ad Tacitum fuse ostendit imperite Darium fecisse, ducibus suis fortunam imputando, quam ab ipsius auspicio traxerint. Quamquam, ut est in rebus humanis nihil certi, sed omnia imperscrutabili DEI judicio reguntur, inter ceteras regulas Politicas, hæc etiam suas patiuntur exceptiones: quas probant omnes reges felices, qui infelicibus ducibus sunt usi; omnes duces felices, qui regibus per se, aut alios duces infelicibus inferuerunt.

3,2,2. *DECIM MILLIVM ARMATORVM*) Cum in vetustis & impressis codicibus optime sic legeretur, non defuere tamen, qui pro *decim millium*, decies centenum *millium*, non recte reposuerunt. Ad quid enim tam capax valuum, cum summa totius exercitus fuerit quadringenta, aut sumnum, ut Arrianus 2,2,21. & Plutarchus in Alexand. c.29. referunt, sexcenta millia armatorum? [septingenta habet] Anonymous scriptor histor. Hierosolym. Vide Gesta Dei per Fran-

Cap<sup>2</sup>.

Francos p. 1168.] Deinde Xerxes, cuius exemplo numerum copiarum Darius iniit, cum decies centenum millium multitudinem haberet, in loco Dorisco, qui decem mille hominum capax erat, circundato vallo, quod decem millium armatorum multitudinem caperet, recensuit copias. Plinius 4, 11, 5. *Tunc locus Doriscus X. M. hominum capax ita Xerxes ibi dinumeravit exercitum.* Quomodo autem Xerxes copiarum suarum numerum inierit, Herodotus 7, 60. refert. Ammianus Marcellinus 18, 15. *Quousque nobis Doriscum Thracia oppidum, & agminatum intra concepta exercitus recensitos Grecia fabulosam narrabis? Popma. & eadem fere, nisi quod verbofius, post Popmam Raderus. Quibus addendum Ariistides tom. 1. orat. 13. Quum autem concretetur infolens iste rex exercitus sui numerum cognoscere (nam & hoc in eius posestatene credere debet) metiri potius eum quodam modo, quam numerare, coactus est, ita ut miro, cuius ambitus decies mille viros caperet (textus eleganter appellat τέλος πυγιαρός) extructo, suos ad mensuram numeraret.*

3, 2, 3. *ORTO SOLE)* Hoc Persico more. Persae enim nunquam ante ortum solem exercitum mouere. Curtius infra 3, 3, 9. *Patio more Persarum trahitum est, orto sole demum procedere.* Idem dosui ante Curtium Herodotus 7, 54. *Vbi sol exoritur est, ex aurea phiala Xerxes libans in mare, apud solem vota concepit, & quix ibi sequuntur.* Raderus. Rationem instituti non absurde credas fuisse, quod deum, quem praecipua religione colabant, itinerum actionumque suarum ducem habere vellent. Eo forte tendebat Germanarum matrumfamilias opinio, apud Cæsar. Gall. 3, 50. non esse fas Germanos superare, si ante nouam Lunam prælio contendissent. Ceterum non videtur fatis consistere locutio ista, *Orto sole ad noctem, nisi scribas;* *Ab orto sole.* magnitudo eum exercitus, etiam duratione tractuque temporis, quod dinumerando impensum est, exprimitur.

*VALLVM)* Non castrorum munimenta, vt interpretatur vir doctus ad hunc locum, sed vallum, quale Dorisci, nulli rei nisi copiis numerandis, vel portiū dimetiendis effectum.

*QUAM PRO NUMERO)* Ut plures viderentur, quam essent, licet reuera essent permulti.

*MESOPOTAMIAE:*) Sic appellata regio, quæ duobus amnibus Tigris & Euphrate clauditur. Eius incolæ vocantur Arriano 3, 2, 21. *οἱ ἐν τῷ μίκρῳ τοῦ ποταμοῦ. Terras Interamias* Mesopotamiam interpretatur Alexander Imp. apud Lamprid. in vita c. 56.

3, 2, 4. *PERSARVM ERANT C. M.)* Sequitur syllabus nationum variarum quæ in exercitu Darii militarunt. Et obseruant hoc historici & poetæ bella descripturi, vt numerum, & gentes & populos describant. Herodotus 7, 60. &c. unus omnium id diligentissime perfecitus est, vt Homerus Il. 2. Virgilius En. 7, 641. Statius lib. 4. Lucanus 3, 107. alii. Summam ex partibus collectam acceperunt. Pedum ducenta quinquaginta millia, equitum mille centum supra sexaginta millia. Arrianus tamen 2, 2, 20. vt & Plutarchus in vita cap. 29. Sexenta millia vniuersitate tribuit Dario. Iustinus 11, 9, 1. quadringenta millia pedum, & centum millia equitum. Diodorus 17, 31. quingenta millia generatim affirmat. nemo decies centena millia. Est autem non præterea obseruatio descriptionis, ordinis ac seriei, quæ difficultatem parat narranti, nisi modum varianda orationis tecneat. Curtius id solemine habet, vt in descriptionibus non in eadem incidat. En hoc loco (quod vbique memineris) *Persarum* inquit, erant: *Medi* habebant: *Barcanorum equitum duo millia* fuere: *pedum decem millia* sequabantur: *Armenij XL. milia* miserant: *Hyrcani sex millia* expleurant: *Derbices XL. millia* armauerant: *Hos duo millia equitum comitata sunt: à Caspio mari pedestris exercitus venerat: ignobiles Asia gentes*

gentes duplēm nōnērūm parauerant. Vides copiam scriptoribus imitandam, vt in opiam orationis declinent. Raderus.

3,2,5. *B.ARCANORVM*) Alii Baetrianorum, male; & refutat ipse Curtius infra num. 9. Baetrianos (quam tamen ipsam vocem in Arachos mutarunt, eadem temeritate) festinatio prohibebat acciri. non igitur hi in hac expeditione; sed Barcani gens Hyrcanis vicina secundum Stephanum. Vide Abrahamum Ottelium, unde sua descriptio videtur Raderus.

*LEVIBVS QVE SCVTIS*) Ferri quidem possit; sed nonne melius scribas: brenibusque scutis? ceteris enim adsimilat, quibus idem apud Tacit. Agric. 36, 1. epitheton.

*CETRÆ MAXIME*) De qua pulera Lipsius in analectis ad Mil. Rom. lib. 3. dial. 1. Recta porro loci scriptura est, maxime, ἡτεῖν μετριῶς, non, vt alibi editur, maxima. Sic infra 8, 11, 6. petra in mete maxime modum erecta. Porro scutum ipsum quod Barcanis tribuit, videatur fuisse pelta, quæ cetra hanc dissimilis est apud Liu. 28, 5, 10. Plura vide apud Torrent. ad Sueton. pag. 1439, a. Lipsum citato loco, vnde ferme sua Raderus.

3,2,6. *HYRCANI EGREGII*) Xenophon lib. 1. παρέβαι: Hyrcani sunt Assyris finitimi, natio non illa quidem magna: qua etiam de causa imperio Assyriorum subiecti erant: sed equestris tamen & tunc sicut habita, & adhuc habetur.

*LIGNVM IGNI DVRAV.*) Visitatum teli genus apud gentes quibus ante Vulcanum, vt vult Ensebius lib. 1. ferri visus incognitus, aut copia rarer. Sic maiores nostri apud Tacit. 2, 14, 4. primam utique actionem hastam habebant; ceteris praestata aut brenia tela erant. Silius 4, 284. de Chryxo Gallo:

Contorquet nodis, & obusto robore, diram  
Vel portas quassasse trabem.

de Indis ad Tomicum flumen Arrianus Ind. 4, 14. ἀκωκὴ δὲ τὸ ιππὸν σιδηρίν, ἀκεὶνος αὐτὸς πατεράκτωμιν τὸ αὐτὸν ιππόν. Cuspis ferrea non erat, sed igne rosta & arcu. Virgil. Aen. 7, 524. agresti certamen id vocat:

— — — non iam certamine agresti  
Sipiibus duris agitur, sudibusque praestis.

& feminis tribuit Aen. 11, 894.

Sipiibus ferrum sudibusque imitantur obustis.

Ideo autem oburebant fudes, quod ea res extracto humore, restringit lignum & indurat: vnde non minima vis sudibus praestis, vt apud Ouid. Metamorph. 12, 299.

Qua iuncta est humero ceruix, fude figis obustis,  
Ingemuit, duroque sudem vix offe resellit.

Vides tam alte adactam sudem in os quamquam durum, quippe centauri, vt ab eo, quem infinito labore præditum fingit, vix euelli possit. Ideo præsternim in obsidis virium frequens canum fuit visus propugnantibus. Ceterum apud nonnullos orbis recens reperti incolas arboris genus nascitur ligno ita solidio duroque, vt confectis ex eo gladiis utantur, acic paulo minus efficaciore quam sit nostratus. At Scaliger Poet. 4, 34. negabat alia ex materia, quam ferro, rīsum ullum. Sed ille nimurum de Europæis hominibus moribusque sentiebat: alias & aureos enses Persarum nobilissimis fuisse, alibi indicatum est.

3,2,7. *DERBICES*) Prope Hyrcanos ad Oxum fluuium siti fuerunt. Ptolemaeus, Plinius, Strabo, Dionysius *Derbeios* nominant. Popma. Vide & Ottelium. In nonnullis editionibus pro hac voce leguntur haec dux: *Idem* vices, absurdissime. De his credo loqui Aelian. hist. var. 4, 1, 8. vbi ait Berbiccas homines 70. ann.

num.

Comment. in Curtium.

lib.3. cap.2. num.8.9.10.

num egrelos interficere. Eos à Cyro domitos, narrant excerpta Persicorum Ctesiae c.6.

3,2,8. *DUCENTI EQVITES*) Recte interpungit meo animo hunc locum Modius: *A Caspio mari octo millium pedestris exercitus venerat: ducenti equites cum his erant. Ignobiles &c.* Raderus. Mihi vulgata distinctio nihil minus arridet.

*ASIÆ*) Quamuis pleraque edita volumina hanc scripturam præferant, veteres tamen codices (si Modio creditur, nam mei omnes Asia legunt, non alia) alia pro Asia habent, & vere meo iudicio, cum omnes quas haec tenus indigitavit Curtius, fuerint Asia gentes, & facilis est vnius in alteram literæ migratio. Raderus. Ms. Pithœi, item Palat. secundus, & Bongarsianus sec. itidem dicuntur habere Asie. Caussam tamen non video, cur recepta, & plurimum MSS. auctoritate firmata lectio postponi debeat. haec certe quam Raderus adfert, mihi neutiquam satisfacit.

*XXX. M. MERCEDE CONDUCTA*) De mercenariis multa cognitu non iniucunda Alexander Genial. 6,22. ibique doctissimus commentator. Describit, vt appareat, ad hunc locum nonnulla ex Brissonii de regno Pers. lib. 3. pag. 286. Raderus. ibi enim obseruantur Herodiani Marcellinique loca, quae itidem adducit commentator noster, quamquam in eo quoque duplice impegerit: pri-  
mum, quod pro Herodiano bis Herodotum nominat; iterum (qui error ex su-  
periore natus est) quod affirmat primis temporibus caruisse omnino peregrino & con-  
ducto milite Persas. Herodianus enim nec primis Persarum temporibus scripsit,  
vt nemo nescit, nec de primis, vt cuiilibet apparet qui verba eius considerat: sunt  
autem ex lib. 6. cap. 12. ε γράμματα τηνάκια στρατευόμενοι Ρωμαίοι.  
Non enim milite qui stipendium accipiat, ruruntur barbari, quomodo Roman-  
ni &c. Sic enim exponendum credo, non, vt sensus sit, eos peregrino milite non  
vti, sed militibus suis certa stipendia non pendere, quod Romanis solitum: id-  
que & sequentia fatis ostendunt, cum adjicit id quemque lucrari, quod ex præda  
adquisuerit. Rectius à Xenophonte testimoniun in contrarium petisset, qui to-  
tum hoc, eiusque caussam eleganter, vt solet, exponit fine παιδέως: Enimvero,  
inquit, cum intelligent (Persæ) quales sint ipsorum apparatus bellici, cedunt alii, neque  
quisquam amplius abhinc Græcis ad bellum se comparat, sine adeo ipsis bellum inter se ge-  
rant, seu contra eos Græci copias edificant: quod animaduertant etiam aduersus Græcos non  
nisi cum Græcorum auxiliis sibi bella esse sufficienda. Vide & Brisson. lib.3. pag.325.

3,2,9. *IGNOTA &c. GENTIVM NOMINA*) Sic Xenophon 1. παιδέως princ. επί τη δρομῇ τοιούτοις επέστη. quarum ne nomina quidem referre quis possit. loquitur de gentibus à Cyro subactis. simile est infra 7,3,5. gentes ne fini-  
tum quidem satis note.

3,2,10. *NEC QVICQVAM ILLI MINVS*) Quid ergo maxime desuit? dicat Iustinus, qui de Xerxis apparatu loquens 2,10, 21. subiungit: *Huic tanto agmini dux desuit.* Quantum in duce sit, volente Deo adnotabimus ad Tacitum de Germ. 30,3.

*PVRPVRATIS*) Adde Arrian. 2,2,2.

*CHARIDEMVM*) De hoc Arrianus 1,3,29. Meminit & Diodorus lib.17,c.30. Male quidam editi Endemum vocant, vitio nato ex aliorum scriptu-  
ra qui Endemum legerant, cum Charidemum reperissent.

*SATISNE EI VIDERETVR INSTRUCTVS*) Eodem sere modo Demaratum Lacedæmonium, imo ex regem Lacedæmoniorum (de quo Iustinius 2,10,13.) Xerxes lustrato ad Doriscum exercitus appellavit apud Herodotum 7,101. Nunquid Græci sustinebunt manus contra me levare? nam, vt ego opinor, ne omnes qui-

G 2 dem

dom Greci ac ceteri mortales, qui ad Hesperum incōtront, si coīrent, pares essent nostris armis, nec me inuadērem expectarent. Huic affinis est inanis Antiochi regis Syriae fatus, qui exercitū in Romanos paratum, atque auro argentoque fulgentem, Annibali ostendit, percontatus an satis inservitus videretur? cui Annibal Punico pro ingenio, satis, inquit, o Rex, quamvis hostes auarissimi sint. Plut. in Scipionis & Annibalis compositione, & Agellius 5, 5, eleganter. vide si placet. Raderus.

3-2. II. SVB SORTIS) Quod exul esset, inque Regis superbissimi fide & patrocinio degeret. Itaque Diodorus 17, 30. hanc Charidemi libertatem ἀνεγέρτησαν vocat, quem qui ob hoc reprehendit, non intellexit. Non oblitus hoc est Pompeius, sed velut instantem exitum praeuideret, in regiam nauiculam transcendens recitat Sophocleum istud:

Etenim tyranni quisquis intrat in domum  
Sernus fit illi, liber eis venerit.

Auctor Plutarchus in vita cap. 129:

VERVM INQUIT) Haec prima oratio est Q. Curtii, de qua, ut alii omnibus quæ sequuntur, ita sentio, vt existimem nullum esse Curtio parem, aut certe neminem illi superiorē. Sallusti orationes leguntur in honorem historie, vt Quintilianus [immo Seneca declamat. 3, 1.] censet, quasi per se indignæ sint, quæ cognoscantur. Liuius unus est, qui orationis maiestate Curtium post se reliquit, acumine ingenii & sententiarum neruis Curtius illi vel par est, vel etiam superior. Raderus. Quid autem censendum de judicio Trogi Pompeii, apud Epitomatum suum 38, 3, 11, qui in Liuio & Sallustio reprehendit, quod conciones directas, pro sua oratione operi suo inferendo, historiae modum excesserint? Sanc eius ipsius oratio, quam operi suo Iustinus inserit, necio quomodo putide auribus meis sonat, quod obliqua referatur. Ut enim largiar in brevioribus concionibus decentius hoc fieri, hoc certe concedere non possim, in prolixioribus idem obtinere, cum toties inculcanda sint ista, se, sibi &c. & inquit, inquit, quæ verba vitanda Cicero sibi censuit, ne sepius interponerentur. Adde quod vix caueri possit, quin alia quoque hac ratione indecora committantur, verbi gratia, in oratione Trogi 38, 7, 8. tandemque si audita expeditas Asia, vt etiam vocibus vocet: adeo illis odium Romanorum incusit rapacias proconsulam &c. haec enim directæ orationi congruerent, obliquæ minus conuenient. Certe Trogi judicium communis scriptorum calculo reprobatum est. Directæ enim orationes operibus suis, præter Sallustium, Liuum, Curtium, inserunt etiam Cæsar, Tacitus, & Graci. Vide Voſium de arte hist. pag. 107.

AVDIRE NOLIS) More Principum quorum aures ita formatae sunt, ut aspera que rtilia, nec quicquam nisi iocundum & lajurum accipiante, ut ait Tacitus H. 3, 56, 6. quo sensu Iuuenialis sat. 4, 86. quid violentius auro tyrañi? Cauta itaque Demaratus (cuius exemplum & Raderus ad hunc locum adnotat) qui iussus dicere sententiam de Xerxis copiis, ita præfatus est: Virā apud te, Rex, ritar, verane, an jucunda oratione? Herodot. 7, 101. Quo respexisse putem Aristotelem, cum Callisthenem auditorem suum ad Alexandrum dimittens monuit, ut cum eo aut rarissime, aut quam iucundissime loqueretur. Val. Max. 7, 2. quod idem dictum Xenophani Colophonio tribuit Hefichius in libello de viris Claris. Ita Parysatis Cyri & Artaxerxis mater, eum qui libere cum Rege colloqui vellet, bÿssus jubelat ut verba. Plut. in apophth. cap. 10. Bene igitur apud Senecam Suas. 1. monet Celsius: non eodem modo in libertate dicendam esse sententiam, quo apud Reges: quibus etiam que proficiunt, ita tamet, ut delectent, suadenda sint. Diuine Seneca de beneficiis 6, 30, 3. monstrando tibi, cuius rei inopia labore magna fastigia, quid omnia possidentibus desit. Scilicet ille, qui verum dicat, & hominem inter mentientes stupenenti, ipsaque confuetudine gro rectis blanda an-

dividit

### Comment. in Curtium.

lib.3. cap.2. num.12.13

diendi ad ignoraniam veri perducentem vindicet à consensu concentuque falsorum: & quae eo loco sequuntur pulcherrime & sapientissime dicta, hinc illa veri consilii periculosa libertas, de qua queritur Philotas apud nostrum 6, 10, 26. Quia causa iuste monet Demosthenes in Olynthiaca tertia: *αγειν πάντα στάχαι, μη σπλαττέναι, τίς εἴπει τη βίλαντα υπὲι οὐδεῖν, οὐδὲ οὐδεῖν δοπλόλογον βαλάνεσσι. & γράπειν.* Prinquam haec (quae facienda dixerat) acta sunt, ne circumspicite, quisnam dum vobis optime consulat, à vobis inturire velit: neminem enim reperiens.

**NE QVICQVAM**) Plures editi; nequaquam, non ita probe. Sensus est; montia ista que nunc vñsi esse possint, nisi iam proferantur, post acceptam, quæ, nisi prouideretur, imminaret, cladem, nihil esse profutura. sic apud aucto-rem infra 3. 4. 3. Arsanos quondam satubre consiliorum sero exequi statuit. Ea enim occa-  
sionis vis est, vt prudentissimorum hominum consultis pondus & effectum, sola-  
fi negligatur, cripiat. Eleganter itaque, & rotunde more suo Heinsius ille lib. I.  
hist. Belgicæ pag. 30. In Hispaniam, vt tardè pleraque, ita sero perforuntur.

*NITET PURPURAE AVROQUE*) Ita perutus codex è cœnobio S. Vdalrici, quemadmodum & Modio lectum. Raderus. Bongarsianus quoque codex præfert; auro. Alii male, *nitet purpura aurumque, recto casu, quasi non ad exercitum referendum esset id verbi sic infra 3, 10, 9. aciem hostium armis purpuraque fulgentem.* Liuuius 34, 3, 9. vt auro & purpura fulgeamus. De aureis autem armis aliqua notaui ad Florum 1, 16, 7, 4.

*ARMIS*) Ita constanter omnes editiones, nec de sinceritate scripturae quisquam dubitat. Non placet tamen ista vox hoc loco, eo quod luxum armorum taxet hic Charidemus, non ipsa. Fulgor enim armorum non laudatus modo in milibus bonis, sed iussus etiam, & exactus. hinc Onosander cap. 28. *Videat etiam imperator, ut exercitus armis splendentibus fulgeat.* Et hinc adeo aciem Macedonum commendat ipse hic auctor mox 3, 3, 27. ab equis virisque, non auro, non discolori ueste, sed ferro atque are fulgentibus. Præterea hic sensentur aurum, purpura, opulentia, quorum in censu quid arma faciant, non intelligo. Suspicio itaque pro armis legendum aut gemmis, aut aliud non absimile. Firmat noster infra 3, 3, 14. uestem auro distinctam habebant, manicatis quo tuicis, gemmis etiam adornatas.

3,2,13. *CLYPEIS HASTISQUE*) Coniunge his & compara legatum Alemannorum orientationem apud Nicetam in Alexio lib.1. f. Phalangem Macedonicam eiusque armatum describit Xiphilinus in Caracallo in hunc sere sensum: Comparavit (Caracallus) phalangem ex solis Macedonibus, in qua erant hominum sedecim millia: eamque phalangem Alexandri cognominavit. Etiebantur eodem armorum genere quo viso Alexandro armati fuerant. Haec erant galea facta ex crudo bonis corio, thorax ex lino triplex, scutum ex are, lancea longa, hasta brevis, crepide, gladius. Hac sere armatura sunt ἀπλιτες Ἀλιανοι tact. c. 48. Vim ciuis & robur exprimit citati Radetor. Alianus tacticor. cap. 14. Polybius 17,25. Liuius 9,19,7. Vegetius 2,2. (quem tam reprobatur quod phalangem constare dicat octo millibus, cum secundum alios constet sedecim) Appianus in Syriacis. Polybius iterum in fragmentis, vbi dicit: quod L. Emilius Paulus nunquam ante visa nisi sub Perseodenum Macedonica phalange, Iape numero Roma apud suos saffis fuerit, nihil se inquam quicquam formidabilius spectasse Macedonem phalange, quamvis & multas, si quisquam alius, acies riperit, & multis ipso praliis decraterit. Cum igitur talis fuerit haec acies, qualis apud citatos auctores describitur, consentaneum est, loco aequo cum quavis alia superiori emisisse, iniquo autem & impedito incommodam & periculofam. quod & exempla demonstrant Philippi, Antiochi, Persei, apud Liuium 31, 39,10. 37,42,4. 44, 45, 8, & 9. & Plutarchum in Flaminio cap. 12. Proprie igitur dicta phalanx fuit acies qua-

drata, conflans ex sedecim hominum millibus, quæ tamen suas iterum partes habebat, in quas diuidi, & ex quibus iterum componi pro re nata poterat; atque hinc est quod in Curtio mox sequitur, circumire, discurrere, in cornu mutare pugnam. Ex hoc deinceps Macedonum inuenio phalanx appellata fuit, omnis grauis armaturæ militum, scutis connexis consertorum acies. Recte igitur Scholia festi Iuuenalis ad illa verba Sat. 2, 46. iunctaque rimbone phalanges, Scruium reprehendit, quod phalangem Macedonibus idem significare putasset, quod legionem Romanis. Sed & ordo sexaginta quatuor curruum aut elephantorum phalanx dicitur. Aelian. tactic. cap. 22. & 23.

*AD NVTVM*) Non signum modo, sed & nutum. Nutum enim hoc loco non capio pro signis mutis, sed pro quolibet leui voluntatis indicio. Hoc enim in laudem Macedonum Charidemus, adeo compositum fuisse agmen, adeo exercitum, ut non signa tantum ducis, quod etiam mediocriter exercitis non ita difficile est, sed & nutum obseruarint, quod quidem exsertis verbis profert mox 3, 27. Intenam ad ducis non signum modo, sed etiam nutum. Sic Claudian. de IV. consul. Honorii versu 87.

*Qui modo tam densas nutu mouere cohortes.*  
quomodo fere apud Iornandem de rebus Geticis cap. 38. diversarum nationum duellores nutibus Attila attendebant, & ubi oculo annuisser, abique aliqua murmurazione, cum timore & tremore vniquisque astabat. Inter haec tamen regiam Alxandri auctoritatem, & Attilæ tyrannicam, interest quod de populo Romano jactat Nazarius in panegyrico cap. 35. Populi Romani vis illa & magnitudo venerabilis ad imaginem antiquitatis relata, non licentia effrenis exultat, non abjecta languide jacet; sed sic assiduis diuisi principis monitis temperata est, ut cum ad nutum eius flexibilis & tenera ducatur, moveretur se non terrori eius prebeat, sed benignitati. In hoc quoque sensu vox nutus est apud Florum 4, 3, 6. vnius praesidii nutus, quasi anima & mente regi. Idem requirit seuerus ille Papirius apud Liuium 8, 32, 7. Si ego tacitus abissen, ait Fabio, tamen tibi ad voluntatis interpretationem mee dirigenda tua sententia fuerit. Necio an hunc sensum adsequuntur sit Aeneas Silvius in historia Europæ, vbi in descriptione clades Varnensis, Huniadi attribuit hæc verba ferme Curtiana: Illos (Turcas) aurea & discoletori teste, Hungaros ferro atque are fulgere, Christianum agmen & stare paratum & sequi, nec turba nec sarcinis prægrauat, intentum quod dux non modo signet, sed etiam innuat.

*ORDINES SERVARE*) Non hoc est, quod Raderus autumat, cui opponitur deserere stationem in praesidio, vel locum in acie, aut profugere, in quorum criminum reos fustis poena constituta erat. nam quod ibidem obseruat de vite, ea nempe ciues mactari solitos, peregrinos tantum fuisse, mihi-nusquam lectum est; contra Apronium decimum quemque ignominiosæ cohortis (milites vtique Romanos, id enim præcessit) forte ductos, fusti necesse, Tacitus 3, 21, 1. adnotat. Ordines itaque seruare hoc loco est, compositos incidere, iisque qui hoc didicerunt, non opponuntur, qui per metum aut perfidiam stationem suam deserunt; sed qui nondum ad hoc exerciti, per imperitiam, vagis incuribus, aut disiectas per cateruas aciem dirigunt: quales plurimi barbarorum, vt apud Liuium 24, 48. Numidæ, quos Statius proxime morem Romanum signa sequi, & seruare ordines docuit. Germani apud Tacit. 2, 46, 3. qui longa demum adversus Romanos militia, insueuerunt sequi signa, praesidii firmari, dicta imperatorum accipere.

*3, 2, 14. O MNES EXAUDIVNT*) Quidam putant adeo tacitos expectasse imperatoris sui præcepta, quod ego quidem, quale sit, haud capio. Nec enim ita imperatores vel a tranquillissimo exercitu, præsertim in ipso discrimine, exaudiri possunt, vt ludimagistri alicuius vox à discipulis. Certe de hoc ipso exercitu

ciu*u* infra 4, 13, 38. sic legimus : *hoc tantus exercitus exaudire non poterat, vsum aurum intercipiente frenitu duorum agminum.* Meminisse debuerant vocem exaudiendi apud veteres alio quoque significatu capi, vt idem sit, quod obediere. Sed de hoc verbo, dante DEO, in Indice, quo haec atque talia proprie pertinent, pluribus a-  
genus.

**OBSISTERE**) Idem interpretes reddunt : *omni ope obniti, & densata clypeis phalange simul in hostem, relut una mole incumbere.* Ego non putem hoc velle Charidemum, sed nec Curtium adeo ; quin obstitere non esse aliud quam consiste-  
re, vt obstatere, obtegere, obtorpedere, oceanare, quandoque idem valent,  
quod simplicia a quibus deducuntur. Apud Plautum etiam in Milite 2, 3, 62. *Hic obstatam*, cum Pareo exponam consiliam, quamvis repugnant alii. Crebro autem usuuenit ut consilere jubeatur exercitus, ne quis a Curtio expositionem nostram alienam putet, ecce ynicum de hoc ipso dice, hoc exercitu, exemplum (plura enim adducere non minus putidum quam facile foret) infra 4, 12, 16. *Alexander cognito pa-*  
*nore exercitus signum ut consilere dari iubet.*

**CIRCVMIRE**) Possis intelligere επιροφας apud Graecos triplices, vel potius sexcuplas, trigeminis enim cernis apud Aelianum cap. 32. ιε ἀερος in π' ασπι-  
δω, a primo statu ordinis ad clypeum, hoc est κλιση seu declinatio conuersione,  
a primo habitu ad sinistrum circuitio. Et totidem circuitionibus obuertebant se ιε  
ἀερος εις δεν, hoc est, ad hastam seu ad dextram partem. [Vtriusque exempla re-  
perias apud Xenophontem.] Possis tamen illud circumire accipere, pro circumuenire  
tota phalange hostem, vt infra 3, 8, 27. & alibi a Curtio usurpatum. Ceterum con-  
ueriones sunt duplices, seu ad dextram, seu ad sinistrum, tum vel viritum tantum  
vertuntur, vel toti simul ordinis & agmina. Raderus.

**DISCVRRE IN CORNU**) Codices veteres quos vidi, omnes hunc locum ita interpongunt: *obstere, circuire, discurrere, in cornu mutare pugnam.* Vnica Modii editio [imo & altera Lugdunensis, & vero tres MSS. Palatini, cum uno Bongarsiano] aliter distinguit, & illud discurrere coniungit cum illis, *in cornu*, & separat illa *mutare pugnam*, quae mihi non displicet, si fulciatur auctoritate, quam forte ex codicibus MSS. accepit. Quod si illud discurrere separates a cornu, accipies verbum de conuersationibus duabus in dextrum latus & sinistrum, scritam, non viritim. Ego coniungo & lego discurrere in cornu vii Modius habet. Ceterum cornua erant duo, dextrum, quod & princeps, sinistrum alterum : confabat vtrumque è lectissimo milite, eratque robur totius phalangis, adeoque exercitus vniuersi. Firmabantur autem cornua, cum ex subjectis & inferioribus ordinibus series aliquot jubebantur ad cornua transire, vt essent ordines bis mille quadraginta octo, cum primum tan-  
tum fuissent mille viginti quatuor, & hoc duplice siebat nomine, vel ut [defuerat quædam] forte, sultineretur labans acies, vel ut] hostes circumuenirentur. quia de re copiose Aelianus, qui & rationem mutandi exercitus eruditus docet. Raderus. Illu-  
strare potest hunc locum Frontin. Strateg. 2, 3, 10. Xanthippus praecepit auxiliaribus, ut emissis telis cederent hosti : & cum se intra suorum ordines recepissent, confusim in latera  
discurrent, & a cornibus riuas erumperent.

**MUTARE PVGNAM**) Mutatio Graecis μεταβολή dicitur, [ μεταβο-  
λέου est Aeliano cap. 5. quod Curtio, mutare pugnam ] cum vel singuli viritim à  
tergo in faciem vertuntur, vel tota acies simul ut nauis circumagit, vt primi ad  
ultimo circumagantur, & ultimi primorem occupent locum. Sed ita ut habitus  
exercitus sit idem, qui ante ordinibus totis circumactis. Omnis μεταβολή duplicem  
habet conuersationem seu κλιση, prima est cum scrips ad latus seu dextrum seu fini-  
strum

strum vertitur: secunda, cum à latere in tergum circumagit. Vtraque rursum duplex, vel ab hoste, vel ad hostem. Cum viritim mutantur, appellatur μεταβολή seu mutatio; cum tota acies flectitur πεντάρχος appellatur. Plura Ἀelianus tacticorum cap. 25. Mutatur autem necessario pugna, cum hostis vel à latere, vel à tergo, vel ex obliquo occurrit, tum enim phalanx vel πλαξια, hoc est transuersa; vel ορθη, recta; vel λοξη, obliqua instituitur. Exempla tabulis expressit Robortellus. Raderus.

**NON DVCES MAGIS QVAM MILITES**) Non abit à Curtio Iustinus II, 6, 4. qui militi Alexandri hoc elegium condidit: *cum ad tam periculostimum bellum exercitum legeret, non iuuenes robustos, nec primum florem etatis, sed veteranos: plerisque etiam emeriti milites, qui cum patre patruisque militaverant, elegit: ut elegantiū hæc particula omittetur] non tam milites, quam magistros milite electos patres. Raderus.* Prope igitur ad Fabiorum gloriam adspirare poterat hic exercitus, de quibus Luius 2, 49, 5. Sex & CCC. milites, omnes patrici, omnes viuis gentis, quorum nomen ducem sperneret egregius quibuslibet temporibus senatus. Quantum autem in hoc sit, dicat tibi Polybius 10, 22,

**3,2,15. P A U P E R T A T E M A G I S T R A**) Tantum virtutis paupertas aduersus insolentes diuinas habet. Iustin. 20, 5, 3. Nam folet vinculum esse morum bonorum, quod & Demaratus innuit apud Herodot. 7, 102. Gracia semper quidem autumna fuit paupertatis, hospes virinus, quam à sapientia acciuit, & à disciplina severa, quam usurpans Gracia & paupertatem tuerit, & dominatum. vnde Iuuenalis Sat. 6. v. 295.

*Nallum crimen abeat, facinorique libidinis, ex quo Paupertas Romana perit. - - - & Florus 3, 12, 7. Opes atque diuinae afflixere seculi mores.*

**HVMVS CUBILE EST**) Quemadmodum & Romanis. Seneca ad Heluiam 10, 3. maiores nostri, qui sibi manu sua parabant cibum, quibus terra cubile erat. Id vergente disciplina mutasse queritur Marcellinus 22, 6. non saxum erat, ut atque armato cubile, sed pluma, & flexiles lectuli. Rigidum istum morem cum multis laudasset Luciani Cynicus, subiungit, contingat mihi, ut terra quevis cubile mihi sufficiat: domum vero existimem, mundum: tum alimenta deligam paratu facilima. Sic Polyb. 2, 17. Gallis tribuit rō οβαδοντεύ, in herba aut frumento iacere. Sed idem iste Macedonum exercitus quantum à dura hac virtute recessit post Persica spolia & ostendit ipse Alexander infra 8, 8, 9. Totum exercitum afficie, qui paulo ante nihil praeter arma habebat, nunc argenteis cubat lectis.

**CIBVS QVEM OCCUPANT, SATIAT:**) Nec milites tantum, sed & ipsum Alexandrum. Frontinus Strateg. 4, 3, 9. Amilianum Scipionem tradidit in iuvene cum amicis ambulanem, accepto pane risci solitum. Idem & de Alexandro Macedone dicitur. Vnde & regina Cariae Adi ferula exquisite confecta ad eum aliquando emitte: meliores, inquit, obscurorum structores habeo, ad prandium antelucanam expeditionem, ad canam frugale prandium. Plutarchus in Apophth. Hac tamen continetia postea nimis soluta est deliciis. Loccenius. Iactatur & altera lectio profecta ab iis, qui quid occupare sit, minus intellexerit: cibus quem occupati parant, longius à sensu & dictione Curtii qui hoc dicit, Alexandri milites nutrimentum querere, non voluptatem, sicut haec pulchre distinguit Maxim. Tyrius Dissert. XI. Ergo & noster opponit occupandi verbū, & effundandi. Indicem vide.

**T E M P O R A S O M N I**) Idem de Taprobanæ incolis Plinius 6, 22. Nulli in diem, aut interdiu somnus.

**3,2,16. THESSALI EQVITES**) Quos magni tum aestimatos satis decla-

declarat callidi istius Philippi actio, qui apud Iustinum 9, 6, 8. *Thessaliam non prede cupiditate, sed quod exercitui suo robur Thessalorum equitum adiungere gessiebat, nihil minus quam bellum metuentem, improbus expugnat, unumque corpus equitum (an equestrum?) pedestriusque copiarium iniusti exercitus fecit.* Adde Liuum 9, 19, 4. Ceterum equitatus Thessalicus omnibus faculis fuit laudatus. Primum Herodotus 7, 196. Thessalae equos celebrat. Herodoto accinit Statius Theb. 6. v. 332.

*Quin & Thessalicis felix Admetus ab oris*

*Vix steriles compescit egnas &c.* vbi eius interpres. Pausanias vero equestrem Thessalorum Martem praedicit in Phocicis. Virtutem Thessalorum infra 3, 11, 14. collaudat Curtius, vti & Plutarchus in Alex. c. 40. vbi praelium ad Iissum deincepsit. In hac etiam regione primos equos extirisse fabulantur. Nata est parceria *πανηγύριον ιππαρίαν*. Decernetur equa Thessalica. parceriographos consule. Hac fere Raderus. Adde Xenoph. hist. lib. 7. *Θεσσαλοί τοις ορείς κατέκαιμενοι επειδή δενδροί, θεσσαλίς ερυθρίβολος*, Thessalis equitibus hominum opinione longe prestantissimus. Maximus Tyr. ferm. 7. ait: *disciplina Cretenum est venari, montes superare, sagittare, correre: Thessalorum equitare: Cyrenensem aurigari: Aetolorum praedari: iaculo Acaenae: pelta etiunt Thraces*. apud Strabonem lib. XI. Cyrus & Medius credunt ab Thessalis rei equestris studium ad Medos & Armenios transisse. Polyb. 4, 8. *Thessalorum equitum impetus, quando surmatim, aut ipsa aete pugnant, sufficiens non potest: ad pugnandum extra aciem pro loco & tempore virium, insatiables sunt ac leni. Aiolis contrario modo se habent. Satynus apud Athenaeum 12, 9. Alcibiadem in omnibus excelluisse scribens, addit: in Thessalia equis atendis, & freno regendo, Aleuadis equis illa disciplina peritior: Non omittendum hic est, quod Orosius lib. 1. cap. 13. scribit: Thessalos Phalephatus in lib. I. incredibilium prodit a Lapithis creditos dilectoque fuisse centenarios, eo quod diffluentes in bello equites, veluti vnum corpus equorum & hominum viderentur. Cui rei non dissimilis est Americanorum quorundam opinio, quam de equitibus primum ab se visis conceperant.*

*ACARNAES*) Quam bellicosи fuerint, ex uno illorum facto discas apud Liuum 26, 25, 7. Raderus.

*ATOLOIQUE*) Hi quoque ingentem equestris rei gloriam consecuti sunt. Polybius 17, 18. eos ceteris Graecis equitatu praestare assert: eodemq; loco viatoriam Romanorum ipsis imputat. quod & Annibal facit apud Liuum 36, 7, 7.

*INVICTA BELLO MANVS*) Impense placet amici mei Ioh. Melchioris Corneri coniectura; *insuetus ferro manus, eam enim antithesen poscere videntur, quae sequuntur de fundis & hastis igne deratis. Ferri tamen & vulgata lectio potest*. sic apud Virg. Aen. 4, 40. *genus insuperabile bello.*

*FUNDIS*) Eleuat quidem Curtius funditorum glandes & lapides: sed longe alia aliis mens est & calamus. Quos ornnes qui Raderus citantur hoc loco ordine inueniunt apud Lipsium de Mil. Rom. 5, 20. & Poliorc. 4, 2. & 3.

*SVAM NATVRAM*) Alii, etiam natur. alii, suam etiam natur. MSS. Danielis, Puteani, Pitheci, Faucheti, & Bongarsianorum alteri decet suam; quam vocem retinet alter Bong. cum primo & tertio Palatinis, & econtra vocem etiam omittunt. de significatu phraseos vide Indicem, dictione suis.

*HOSPITEM AC SVPPLECEM*) Que utraque consideratio flectere debuerat animum regis. nam & hospitiu jus iniuiolabile habebatur, & in supplicem leuire inhumananum.

*VTILIA SVADENTEM*) Seneca de ira 3, 14. f. cum retulisset historiam Praexaspis, *Accessit itaque ad numerum eorum, qui magnis cladibus ostenderintur, quanti constarent regum amicis bona consilia.*

*ABSTRAHI IVSSIT*) Allusisse videtur morem Persarum quem in hac historia Diodorus expressit, lib.17. cap.30. rex offensus batheo apprehensum, ex lege Persarum, apparitoribus interficiendum tradidit. Sic apud Xenophont. ἀναβάται. Post hæc surgentes vniuersi, atque in his etiam propinqui hominis, Cyro sic iubente, cum iudicio necis, Zonam Orontem prebenderunt.

3,2,18. *IS IPSE*) Prior vocula est à MS. Bongarf. quod minime otiosa videatur, addidi.

*LICENTIA REGNI*) Eiusmodi documenta multi dedere, effusius quam ut aut libi expediret, aut suis: sic Arruntio apud Tacit. 6, 48; 3. Tiberius post tantam verum experientiam, vi principatus consuluis & mutatus dicitur.

*NATVRAM DEDISCERE*) Mutari quid in his verbis debeat? nihil ego video, sed nec velim. tamen conjicias è pfectis Codicibus [nihil monuerunt amici de iis quos ipsi viderunt] aliter, à natura deciscere. minime profecto inepit, ac nefcio annon vulgato non dicam equidem aptius, sed fortius, imo vero & venustius: si rem quidem ipsam, & simus phrasin species. A se quippe deciscit, qui se totum alteri permittit. Exit è sua, qui transit in alterius potestatem. Naturam suam exuit, qui induit alienam. sed hæc eadem confidunt interpretatione commoda etiam è vulgato. Nec autem ipse, nec alii sua serm mutare. Acidalius.

3,2,19. *SERA DE INDE POENITENTIA*) Quæ vt stolidæ, ita nocens & exitiosa est: ideoque viris prudentibus diligentissime præcauenda. Vnde Tacitus 4,11,2. *Quis enim mediocri prudenti, nedum Tiberius tantis rebus exercitus, mandato filio exitium offerret, idque sua manu, & nullo ad panitendum regressu?*

3,2,20. *SEPELIRI IVSSIT*) Hinc colligas moris fuisse Peris, vt cadavera punitorum fere inseulta abficerentur. Se tamen ea cognatis petentibus non negasse Augustus lib.10. de vita sua scripsit, vt refert Vlpianus in l.i. de cadau. punit. qui idem de surtemporis (vixit autem sub Pseud-Antoninis & Alexandro) obsecratione testatur, eorum in quos animadseritur, corpora non aliter sepeliri, quam si fuerit peccatum & permissum. & nonnunquam non permitti, maxime maiestatis damnatorum. Euseb. hist. 8,19. scribit, Maxyen quendam iudicem, Christianos ob fidem damnatos inseputos proieccisse; cussodibus etiam additis, ne cadavera tollerentur, quam rem auctor vocat extra naturæ leges progreedi, οὐ τὰς τῆς φύσεως δι-μᾶς. Idem de Pleminio queruntur Loresenses apud Liuum 29,18,11. Id autem non magnopere curauit Theodorus philosophus, cu[m] minabatur tyrannus mortem, & quidem inseputam. Habet inquit, cur tibi placeas: hemina sanguinis in tua potestate est. nam quod ad sepulcram pertinet, o[mn]i[us] in eis, si putas interesse, supra terram, an infra p[re]tremam. Seneca de tranquill. animi 14,4.

3,3,1. *THYMODES*) De hoc Thymode, seu, vt alibi appellatur, Thymonda, eiusque patre Mentre, nobilissimo duce, vide Reineccii tomum tertium, vbi de ducibus Rhodiis agit, & de hac historia Arrianum 2,7,7. Sabellicus Ennac. 4,4. Timoclem vocat, quomodo fere in Pal. sec. legebatur. illi enim, Thymocleriterum codem libro Etymoclem vocat Sabellicus, eique tribuit consilium quod infra.

3,3,1. *IMPERIUM, QVOD*) Maritimæ nimirum oræ, cuius Satrapem Sardibus morari consueisse Pausanias docet in Laconicis: αἱ Σάρδεις πλέοτο περὶ παρασκευὴν προῖσθον. τὸν Σαργανίουν ἵππον γαλάζην τῷτο διενήγου ἀπιδεῖπτο, καθάπερ γε ἄντες βασιλεῖς πὲ Σικου. Sardes diuissimè & apparatu excellebant: nam & a qui imperium mari obtinebat, ea sedes erat constituta, quemadmodum ipsi Regi Susiorum urbs.